

## Le Basque à l'Université d'Oxford

---

« Insignissima Vice-Cancellarie, vosque, egregii Procuratores; hujus Academiaz proprium est munus, quasi hereditate traditum, intimam linguarum, dialectorum, litterarum scienciam et profiteri et docere. Professoribus nostris haud omnino sunt ignotæ veteres reliquæ quæ saxis, lateribus, papyris incisæ vel inscriptæ interpretationem invitant et interdum frustrantur.

» Ista vero omnia sunt gentium antiquarum aut extinctarum monumenta. Quid si de præsenti tempore et de existentibus Europæ incolis quaestio fiat? Credo equidem nihil esse incertius quam de eo sermone judicium ferre quo hodie utuntur Vascones; unde sit ortus; quas sibi adroget adfinitates; cui linguarum ordini sit adnumerandus. Tantum in se habet antiquitatis ut (si bariolantibus fides sit danda) credamus liceat, in Paradiso Adamum vasconice esse locutum; tantum vero difficultatis ut Satanas ipse post diuturnas lucubrationes nihil præter duo verba posset ediscere, et haud ita multo post utrumque oblivisceretur. Hic certe habetis dignum vindice nodum! Quapropter iis philologis gratias agimus qui in hac re gnaviter elaboraverunt et locis obscurissimis aliquod intulerunt lumen.

» Vir eximius Eduardus Spencer Dodgson, hujus Academiæ XXX ahinc annis paulisper alumnus atque nuper ordinibus nostris denuo adscriptus, tantam diligentiam bis studiis adhibuit, tantum inde fructum percepit, ut testium expertissimorum consensu satis constet de philologia optime eum esse meritum. Itaque peropportunum esse puto hunc virum vobis, Academici, præsentare, ut admittatur ad gradum Magistri in Facultate Artium, honoris causa (17 déc. 1907).

» W. W. MERRY, Public Orator »,